

Clarissimo ac doctissimo Viro

F. Th. Welcker,

Professori Bonnensi, cet. cet.

Franciscus M. Avellinius

S. P.

Quum Tu , Clarissime ac Doctissime Vir, praeclarae eruditionis, ac bonis artibus imbuti ingenii copias, quibus polles, amplissimas ad archaeologiae ornamentum summa cuin laude confers, tum ceteros, Nominis Tui cultores, humanter hortaris ut idem ingredi iter haud pertimescant. Quam Tu voluntatem quoniam et erga me quoque significare consuevisti, coepi iam cupiditate flagrare, ut si minus pro eo ac mereris, pro viribus certe meis satis ei facerem. Et sane opportuna data est nuper occasio aliquid moliendi, quod apud Te, summum ac perfectum iudicem, haud plane improbari posse confido. Occurrit enim mihi ἀνέκδοτος quantivis pretii graeca epigraphe, βουστροφηδὸν in argenteo quadrangulae atque oblongae figurae frustulo caelo insculpta; eaque haud indigna visa est, quae in lucem proferretur. Eius itaque ἔξιππον ad Te mitto, accuratissime ipsam epigraphen cera exceptam exhibens; ita ut, quod facile intelligitur, quae in illo a dextra ad sinistram decurrit inscriptio, in hac ad dextram a sinistra procedat, et contra.



Nobile id *κειμήλιον* in Posidoniae, vetustissimae ac celeberrimae urbis, reliquiis inventum ferebatur, effosso scilicet sepulcro, unde illud cum nonnullis aliis monumentis prodiit. Id mihi vel eam ob caussam verisimile videtur, quia et dorica dialectus et forma litterarum vetustioribus Posidontarum numis plane sit congruens, eique adeo urbi domesticum prodat monumentum.

Litterarum vim ac potestatem si expendas, nullo negotio hanc esse epigraphen deprehendes, recentiori litterarum forma expressam:

TΑΣ ΘΕΟΤΣ ΠΑΙΔΟΣ Ε[Ι]ΜΙ

Sed huius epigraphes sensus haud omnino perspicuus: et nodus sane Te vindice dignus. Haeret praecipue aqua in voce ΘΕΟΤΣ, pro qua frustra dubitaveram initio an ΘΕΟΙΣ esset legendum, dorice nempe pro ΘΕΟΤΣ, a proprio forte matris nomine, ut *Χαρικλοῖς*, quod apud Pindarum servatur. 1) Sed quum forma τοῦ Ι (Σ), ut in numis Posidoniae vicinorumque urbiū, sic et in nostra epigraphe, longe sit alia; ipsissimum vero Τ eadem forma expressum sit in prima voce ΤΑΣ, patet plane epigraphes scriptorem ΘΕΟΤΣ dedisse non ΘΕΟΙΣ. Quid vero sub ea voce lateat, nemo omnium, potius quam Tu, divinaverit. Memini quidem a Macedonibus inseri τὸ Τ ante Σ aliquando: itaque ἀβροῦ Τε Σ teste Hesychio, pro ὁφρῦς, et ἈραντίΣιν pro Ἐριννύσι dicebant: 2) quod fecisse videntur ut major sibili pronunciationi vis adderetur. Eademque, opinor, de causa, in plurium vocum initio, si Eustathio fides, τὸ Ζ, duplex nempe pro simplici Σ elementum, usurparunt ipsi vetustiores; 3) qua de re extat, Luciano auctore, lepidissima τοῦ Σ apud voca-

1) Pyth. Od. IV v. 182. Vide Maittair. de dial. p. 182 et Matthiae grammatis. §. 79. Servatur saepius communis forma, e. c. Κλεοῦς. Nem. III, 145. Λεοῦς Nem. VI, 64. Λοῦς ib. 89. Αργοῦς Pyth. IV, 329. Sic quoque apud Theocritum Μελιξοῦς, II, 146, Μυροῦς, VII, 97; apud Moschum Ζοῦς, III, 43, cet.

2) Koen ad Corinth. de dial. p. 338 Schaef.

3) Ad Iliad. B p. 217 et 228.

les iudices conquestio. 4) Quae si satis esse videbuntur ad explicandum insolens hoc ΘΕΟΤΣ, latens sub ea voce habebis doricum ΘΕΩΣ, i. e. Θεοῦς, *Theonis* nempe, ut Ἀχαῖος pro Ἡρῷος apud Moschum, 5) cuius *Theonis* filiae se esse affirmat vel imago, vel si quid aliud fuit, in quo insertum atque inclusum erat litteratum argenteum frustum. *Theoxυρη* mulieris nomen haud absurde dici posse videtur, et forma tantum a *Theano* diversum, quod et in mythicis et in historicis narrationibus percelebre, nostrisque his in regionibus praecipue novimus usurpatum. 6)

Plura addere de forma litterarum vix necessarium. Genuinam esse ac germanam vetustiorum inscriptionum ipse vides; itaque ut in numis, forma τοῦ Σ (*M*) accurate ab adfini τοῦ Μ (*μ*) distinguitur. Rarior forma τοῦ Θ angulosi, vel quadrati: quae tamen in vetusto titulo a Rosio edito 7), et quem repetit cl. Boeckhius, 8) recurrunt: frequentior est eiusdem elementi forma rotundior. 9)

Sed plura iam mitto. Habes, puto, monumentum sat dignum, quod in ceterorum remotiorem vetustatem redolentium numerum referatur: habes, quod eruditione Tua exornes, et in ἀρχαιολογίας usum illustres. Me observantissimum Tui ama, quod facis, et Vale.

Scribebam Neapoli postridie Kal. Aprilis 1500cccxxxv.

4) In iudic. vocal. p. 61. tom. I. edit. Bipont.

5) Idyll. 5 v. 1. Vide Maittaire. de dial. p. 182.

6) Crotoneiam Theanonem facit Suidas s. v. et Didymus apud Clem Alex. Strom. lib. I. item Diogenes Laert. lib. VIII. segn. 42. Alteram metapontinam novit idem Suidas. Vide Menag. ad laudatum Laertii locum, et in historia mulierum philosophar. Segn 79 seqq. Theano Metaponti Icariae regis uxor memoratur Hygino fab. 186. Occurrit nomen et in Phalarideis epist. 139, 140, 143 Lennep. Mitto ceteras Theanones apud Homerum aliosque memoratas.

7) Pag. 65 tab. 7. 8) Corp. inscript. tom. I pag. 886.

9) Boeckh. l. c. n. 1, 2, 6, 7, 8, 9, 10 passim.

Obtemperandum est Viro doctissimo, qui nostram quoque de insigni titulo sententiam accipere voluerit, quamvis tam simplex est et obvia, quam proferemus, explicatio, ut a reconditoris, qua suam editor egregius instruxit et expolivit doctrinae copiis, nimium quantum abhorreat. Et fortasse abiectum est non sine gravioribus rationibus ab illo, quod a nobis, quum statim in id incidissemus, utpote non e longinquo petendum, praepropere arreptum, pro solutione aenigmatis epigraphici probabili offertur. At etiam si $\chi\alpha\lambda\kappa\epsilon\alpha$ demus $\chi\rho\nu\sigma\epsilon\iota\omega\nu$, vel aenea Viro clarissimo, monumenti recens effossi notitiam cum Germaniae philologis liberaliter communicanti, declarabunt promptum ad commercia ineunda studiorum animum; et licet sperare fore, ut alia, non quidem aurea, sed aliquanto certe minus viliora, ut primum oblata fuerit occasio, retribuamus. Putaveram autem in lamella non proprium aliquod muliebre nomen exhiberi, sed *Proserpinam* significari, quae $\tau\eta\varsigma$ $\vartheta\epsilon\sigma\bar{\nu}$ $\pi\alpha\iota\varsigma$ recte proprieque videtur dici. Quum enim mater et filia coniunctae vel $\alpha\iota$ $\mu\epsilon\gamma\acute{u}\lambda\alpha\iota$ $\vartheta\epsilon\alpha\iota$ appellari soleant — ut apud Sophoclem in Oedipo Col. 685 (ubi graviter errat alter Scholiastarum, cf. Clem. Al. Paedag. II, 8, 72 p. 78 Sylb.), in epigrammate Methapi apud Pausaniam IV, 1, 5, qui eodem et ipse nomine utitur IV, 1, 4. 2, 4. VIII, 31, 1 — vel $\alpha\iota$ $\vartheta\epsilon\alpha\iota'$, $\alpha\iota$ $\vartheta\epsilon\sigma\iota'$, $\tau\omega$ $\vartheta\epsilon\omega$ (Aristoph. Plut. 1007, Plat. Axioch. §. 20, Andocid. de myster. p. 17 Reisk. Dionys. de arte rhet. p. 243 Reisk. Athen. V p. 215 d), eaedem quum distinguerentur, non potuit quin ad matrem transiret illud η $\vartheta\epsilon\sigma\varsigma$, sive η $\mu\epsilon\gamma\acute{u}\lambda\eta$ $\vartheta\epsilon\sigma\varsigma$, quo nomine Ceres insigniri solet in inscriptionibus, et formam quidem η $\vartheta\epsilon\sigma\varsigma$ pree altera $\vartheta\epsilon\alpha$ etiam Atticis placuisse Valckenarius observat ad Hippolytum 53. Iam quae inter $\varTheta\epsilon\bar{\nu}$ ($\vartheta\epsilon\omega$) et $\Pi\Lambda\Lambda\bar{\nu}\Omega\varsigma$ adiectae sunt litterae $T\Sigma$, iis $\pi\alpha\iota\delta\bar{\nu}\varsigma$, sive *Kόρης*, epitheton coniicio inesse $TP\bar{\iota}S\bar{\iota}E\bar{\iota}M\bar{\iota}N\bar{\iota}\Omega$, $\tau\omega\iota\sigma\epsilon\mu\nu\bar{\nu}$. Novum quidem hoc est compositum, sed eorum ex genere, quorum numerus insinuitus est,

et in Graecorum lingua minus fortasse quam in alia quacunque certis circumscriptus finibus. Qui cum assueti essent vocabulis qualia sunt *τρισάθλιος*, *τριπόδητος*, *τριλλιστος*, *τρίδονλος*, *τρίπορνος*, *τρισέχθιστος*, *τρισμάκαρ*, *τρισάγιος* et sexcenta alia, quis dubitet eodem modo etiam *τρίσεμνος* potuisse formari? Ceres autem *σεμνὴ θεὸς* appellatur in ipso hymno Homericō v. 1. Ceres et filia in eodem v. 486 sunt *σεμναι τ' αἰδοῖαι τε*, atque ita in Orphicis hymnis Ceres *σεμνὴ θεαὶ XXXIX, 2*, itemque Proserpina *XXVIII, 10*, quamquam *αἱ σεμναι θεαὶ* proprie Eumenides dictae sunt. V. Bast. *Epistol. Crit. p. 104.* Meinekius ad Menandr. p. 546. Sed hoc levius ad rem nostram, potuisse et Cererem *τρίσεμνον* appellari, et eius filiam; accedit, quod paullo gravius est, frequens in deorum praedicationibus et in superstitionis sermone adiectivorum compositorum usus, adaucta praeposito aliquo verbo significatione et corroborata. Sic Ceres in eodem illo hymno Homericō v. 211 dicitur *πολυπότνια*, ubi quod Tyrwhittus conciecit, probavitque Porsonus (*Tracts p. 101*), *πίε πότνια*, si me audis, non eo certe commendabis, ut non antiquam illam esse vocem dicas, quum quid in sacris antiquum sit, quid non, ex heroica poësi non debeat diiudicari. Mulierculae Alexandrinae apud Theocritum XV, 86 Adonis est δ *τριφύλατος*. Bacchi nutrici in vase Siculo nuperrime eo edito in Monumentis Instituti archaeolog. II, 17 adscriptum est nomen *ΑΡΙΑΤΝΕ*, quod idem valet ac *Τρισάγνη*, neque magis quam *τρίσεμνος* in libris veterum superstitibus inventur. Ex quo Nymphae Bacchiae cognomine, quum ex Dia-rio Italo *Giornale delle lettere ed arti* 1825 fasc. 8 p. 257 mihi in notitiam venisset, in titulo Eleusinio restitui in Sylloge Epigramm. Graec. p. 178:

Δημητρός τε χάριν [πολυά]γνον γ', ἡπιο[δώρον.]

Unum est, in quo erunt, qui offendantur, siglae usus in titulo tam antiquo. At non dubito, quin, perfectis quae ab Ed. Corsinio in Notis Graecorum p. XV s. contra magnum

Masseium disputata sunt, aliter plerique de hac re sint sensuri. Adducuntur enim ab illo monumenta aliquot, in quibus siglae extant non ad Romanorum imitationem revocandae, numus regis Aniyntae, qui Olymp. LXIII, i regnare coepit, in quo litteras *BΑΜΙ* significare Corsinius putat βασιλέως Αμύντον Μακεδόνων, nobis βασιλέως ΑΜΙντον legendum videtur, tum marmor Atheniense Olympiadis octogesimae, in quo τριεραρχῶν decurtatum est *TPIE*, et aliud Ol. centesimae primae, cuius quas litteras habet praepositas *E. Θ.* eas ἐπικονδίοις θεοῖς ratione certa interpretatur Boeckhius in Corp. Inscr. Graec. Vol. I. p. 255. Non prorsus adsentior iis, quae addit Vir praestantissimus: »Hic ipse notarum usus scribendique ratio facile ex aeneis ipsis marmoreisque Graecorum tabulis ostendi posset, si plura id genus monumentorum nostris hisce temporibus haberentur; neque ea, quae supersunt, brevissima forent, aut solam plerumque nominum seriem continerent, in quibus certe exarandis exprimendisque contractior illa scribendi methodus commode feliciterque usurpari non poterat. Quandoquidem tamen in antiquissimis etiam brevibusque Graecorum titulis notae quaedam, siglae vel contractiones occurrunt, facile exinde conicere vel inferre quis poterit, alia quoque vocum compendia iis temporibus usurpari consuevisse, quamvis eadem aut parcius, aut in prolixioribus solum titulis adhiberentur.« Non in prolixioribus inscriptionibus, quantum ex satis magno, quem hodie novimus, earum numero statuere licet, Graeci antiquiores vocabula qualiacunque decurtarunt, sed in brevissimis et in spatium arctissimum inclusis non mirum est si in quibusdam formulis vulgaribus, deorum epithetis consuetis compendio usi sunt, qui nomina etiam civitatum, deorum et magistratum monogrammatis in numis, et in gemmis heroum nomina aliquot litteris, quum spatium non caperet omnes (ut *ΠΑ* pro Παλαμήθης), indicare soliti sint. Sigla *TΣ* ad eam pertinet classem adiectivorum, in quibus fere regnat posterioribus

seculis siglarum usus, quales sunt *ΑΓ*, ἀγία, *ΑΓΙΩ*, ἀγιώτατος, *ΕΤΣ*, εὐσεβῆς, *ΚΡΑΤ*, κράτιστος, *ΜΕ*, μέγιστος, *ΣΕΒ*, σεβαστός, et simillima est compendio *ΝΡ*, νεώτερος. Nolui autem ponere τὰς σεμνᾶς, quia neque Ceres dicebatur ἡ θεὸς ἡ σεμνή, sed vel ἡ θεός vel ἡ σεμνὴ θεός, neque apta esset nominis Κόρη periphrasis, vel integra potius eiusdem forma, τῆς θεοῦ τῆς σεμνῆς παῖς, quam aptissima sit, τῆς θεοῦ παῖς, τῆς θεοῦ τρούεμνος παῖς. Praeterea probabilius est, epitheton ipsi, cui donarium destinaretur, deae, quam matri eius, additum fuisse. Donario enim alicui Proserpinæ dedicato, nisi egregie fallimur, affixa fuit lamella in sepulcro inventa. Cererem Posidoniae numi repraesentant apud Mionnetum Vol. I. p. 166. Supplēm. T. I p. 308 s. et Proserpinam, cuius omnes intrandum manet sanctum limen, per universam Graeciam omnes fere coluerunt et disiunctissimarum urbium incolae.

F. Th. Welcker.